



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXC. An possit esse Angelus in diuersis locis simul.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

ut aduersarij comminiscuntur, eodem modo traheret ferrum interposito impedimento, sicut antea trahebat.

Ad ultimam rationem, quæ solum de Angelis probare contendit, Respondeo, Angelos non indigere propinquitate loci, & continuatione virtutis ad operandum propter quantitatem, & materiam, sed propter virtutem, quam habent finitam, quia aliqui si propinquitas, & continuatio non esset necessaria, posset in qualibet distantia operari in infinitum, quod arguit virtutem infinitam ad operandum. Ceterum non est necesse, Angelum esse secundum substantiam in quavis parte corporis, in qua operatur, sed satis est, si sit iuxta illud, & ab eo continuo effectus deriuetur, & diffundatur, sicut in agentibus corporeis etiam accidit: in opinione vero eorum, qui dicunt, Angelum esse in loco per operationem, necessario concedendum est, Angelum esse in toto corpore, quod mouet, & ita Angelum cæli motorem, esse in toto cælo, quod falsum videtur, ut disputat. 192 cap. 3. dicemus.

ARTICVLVS II.

Utrum Angelus possit esse in pluribus locis simul.

270.

1. d. 17 q. 3.
4. 2. Et q. 4.
ar. 1. cor. 9.
4. d. 4 q. 2.
ar. 1. 3. q. 2.
2. d. 10 q. 3.
ar. 2. 9. 1. lib.
6. de Trin. c.
6. tom. 3.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Angelus possit esse in pluribus locis simul. Angelus enim non est minoris virtutis, quam anima, sed anima est simul in pluribus locis, quia est tota in qualibet parte corporis, ut Augustinus dicit. Ergo Angelus potest esse in pluribus locis simul.

2. Præterea: Angelus est in corpore assumpto, & cum assumat corpus continuum, videtur quod sit in qualibet eius parte. Sed secundum partes eius considerantur diuersa loca. Ergo Angelus est simul in pluribus locis.

1. 7. orbo.
fides, cap. 3.
Et libro 1.
cap. 17.

3. Præterea. Damasc. dicit, quod ubi Angelus operatur, ibi est. Sed aliquando operatur simul in pluribus locis, ut patet de Angelo subuertente Sodomam. Ergo Angelus potest esse in pluribus locis simul. Sed contra est, quod Damascen. dicit, quod Angeli dum sunt in cælo, non sunt in terra.

Respondeo dicendum, quod Angelus est virtutis & essentiae finitæ. Diuina autem virtus, & essentia infinita est, & est vniuersalis causa omnium, & ideo sua virtute omnia contingit, & non solum in pluribus locis est, sed ubique: virtus autem Angeli, quia finita est, non se extendit ad omnia, sed ad aliquid vnum determinatum. Oportet enim quicquid comparatur ad vnam virtutem, ut vnum aliquid comparari ad ipsam. Sicut igitur vniuersum ens comparatur, ut vnum aliquid ad vniuersalem Dei virtutem, ita & aliquid particulare ens comparatur, ut aliquid vnum ad Angeli virtutem. Vnde

cum Angelus sit in loco per applicationem virtutis suæ ad locum, sequitur, quod non sit vbique, nec in pluribus locis, sed in vno loco tantum. Circa hoc tamen aliqui decepti sunt. Quidam enim imaginationem transcendere non valentes cogitauerunt indiuisibilitatem Angeli admodum indiuisibilitatis puncti. Et ideo crederunt, quod Angelus non posset esse nisi in loco punctuali. Sed manifeste decepti sunt. Nam punctum est indiuisibile habens situm, sed Angelus est indiuisibile extra genus quantitatis, & situs existens. Vnde non est necesse, quod determinetur ei vnus locus indiuisibilis secundum situm, sed vel diuisibilis, vel indiuisibilis, vel maior, vel minor, secundum quod voluntarie applicat suam virtutem ad corpus maius, vel minus. Et sic totum corpus, cui per suam virtutem applicatur correspondet ei ut vnus locus. Nec tamen oportet, quod si aliquis Angelus mouet cælum, quod sit vbique: Primo quidem, quia non applicatur virtus eius, nisi ad id, quod primo ab ipso mouetur. Vna autem pars cæli est, in qua primo est motus, scilicet pars Orientis. Vnde etiam Philosophus in 8. Physic. virtutem motoris cælorum attribuit parti Orientis. Secundo, quia non ponitur à Philosophis, quod vna substantia separata moueat omnes orbis immediate; vnde non oportet quod sit vbique. Sic igitur patet quod esse in loco, diuersimode conuenit corpori & Angelo & Deo. Nam corpus est in loco circumscriptiue, quia commentatur loco. Angelus autem non circumscriptiue, cum non commentetur loco, sed definitiue: quia ita est in vno loco, quod non in alio. Deus autem neque circumscriptiue, neque definitiue, quia est vbique.

Et per hoc patet de facili responsio ad obiecta, quia totum illud, cui immediate applicatur virtus Angeli, reputatur ut vnus locus eius, licet sit continuum.

CONCLUSIO est. Angelus cum sit finitæ virtutis, neque vbique, nec in pluribus locis, sed in vno tantum esse potest. Circa textum articuli citati est notandum, præterea, quæ in disputationibus dicenda sunt.

DISPUTATIO CXI.

• An possit esse Angelus in diuersis locis simul.

Status controuersie. cap. 1.
Angelum esse posse simul in pluribus locis non adequatis, nonnulli docuerunt. cap. 2.
Verior sententia, Angelus nequit esse in pluribus locis: etiam non adequatis, vilo modo. cap. 3.

scilicet
Gabriel
Gregor.
Basilis.

I.

In pluribus
locis esse
possit.

Scilicet de
nisiatur.

Praefens controuersia non est de potentia absoluta Dei, ut enim bene notarunt *Scotus Gabriel, Gregorius, & Basilis*, cum idem corpus, saltem modo Sacramentali, in diuersis locis esse possit; idque fides nostra doceat: negari non debet. Angelum eodem modo à Deo collocari posse. Errauit itaque *Goffredus quodlibet. 12.* ut refert *Basilis*, cum asseruit, Angelum neque potentia Dei absolute esse posse in diuersis locis. Neque difficultas est de locis adaequatis: omnes enim faterentur, in illis propria virtute esse non posse. Primum quidem *Caietan. Scot. & Gabriel*, qui putant, posse Angelum esse in pluribus locis non adaequatis virtuti ipsius, tamen *Scotus, & Gabriel*, solum dicant, id esse probabile. Deinde ceteri, qui negant, Angelum esse posse in locis adaequatis, idem fateri tenentur: appello autem loca adaequata virtuti Angelorum, maxima inter ea, quae propria virtute possunt occupare: semel ergo vno sic occupato, non possunt in alio propria vi simul collocari. Ratione vero constat: cum enim Angelus sit in loco propria virtute efficienti, siue sit per operationem, siue alio modo: determinatum sibi postulat locum suae virtuti adaequatum, quomaiorem non poterit habere: ergo simul non poterit esse in alio loco cum tota eius virtus in priori insinatur: aut certe, si per substantiam suam proxime sit in loco, cum illa inuariata permaneat nequit esse ei ratio, ut in duobus esse possit, si ut neque eadem quantitas corporis; ut corpus in duobus locis sit, haec autem ratio procedit in opinione omnium, excepto *Durando*, qui dicitur, Angelum esse in loco determinato: nam cum *Durandus* eum ubique esse affirmet, consequenter etiam dicit, Angelum esse non posse in pluribus locis diuersis: quia omnia corpora, ut vnum locum, sibi vendicabit. Restat igitur difficultas, an possit Angelus esse in pluribus locis non adaequatis, hoc est minoribus, quam possit propria virtute occupare.

CAPVT II.

Angelum esse posse simul in pluribus locis non adaequatis, nonnulli docuerunt.

De locis non adaequatis non eodem modo sentiunt Scholastici: aliqui existimant, Angelum esse posse eodem tempore in pluribus locis non adaequatis, quae simul coniuncta non excedant latitudinem adaequati. *Caiet. in hoc articulo. Tertius, 3. cont. gent. cap. 68. §. Ad euidentiam dubij.* Quibus consentire videtur *Marsilius in 2. q. 1. art. 2. post 7. con. 1. & Basilis in 2. d. 2. 4. art. 3. in corpore, & ad ult.* tamen hic author de locis contiguis loquitur, de quibus alia ratio est, ut seq. cap. dicemus. *Scot. vero in 2. d. 2. q. 7. & Gabriel. q. 2. art. 3. dub. 3.* docent, nec pro vno, nec pro alia parte ratione efficaci posse aliquid probari: explicant autem sententiam suam hoc modo, ut loca diuersa non tantum sint contigua, sed etiam dissita, ita tamen, ut si contigua fuerint, aut continua, vnum adaequatum locum non excederent. Addit *Caiet.* hoc tantum fieri posse intra certam latitudinem, cuius mensuram ignoramus, ne dicamus virtutem Angeli, aut ad operandum, aut constituendum se in loco,

in distantia quamlibet sine termino posse diffundi. Haec sententia nulla alia ratione potest probari, nisi quia non videtur naturali virtute Angelo vilo modo id repugnare. Quamuis enim repugnet, Angelum operari ubi non est, at esse & operari in diuersis locis intra certam mensuram, certe nihil absurdi habere videtur: quod enim Angelus, qui erat in vno corpore quatuor palmorum, relinquit in eo duos palmos spatij, & duos retinet in incipit, occupare alios duos in diuerso & distanti corpore, non videtur excedere virtutem, quae quatuor palmos poterat occupare: similiter, quod Angelus duo corpora assumat minora, qui possit vnum maius assumere, & in vtroque appareat, quid repugnat?

CAPVT III.

Verior sententia, Angelus nequit esse in pluribus locis, etiam non adaequatis, vilo modo.

Multo probabilior est opinio eorum, qui asserunt, Angelum non posse constitui in diuersis locis. Per diuersa autem loca intelligunt diuersa corpora non contigua, sed dissita: id autem docent, etiam si loca non sint adaequata, & sint intra latitudinem certam, quam totam possit Angelus sua praesentia replere. Huius sententiae meo iudicio fuerunt *Alexander. 2. p. q. 32. memb. 3. Bonau. in 2. dist. 2. p. 2. ar. 2. q. 2. in corpore & ad argum. Aegid. 2. par. dist. art. 1. q. 2. Th. de Argentina in 1. d. 37. q. 1. art. 2. con. 2. Richard. artic. 2. q. 3. cum absolute pronuntiant, non posse Angelum esse in locis diuersis simul. Idem plane sentit S. Th. in hoc art. qui nunquam concedit vilo modo Angelum posse esse in pluribus locis simul, cum tamen id absolute negat, cum responderet ad argumentum in contrarium adducta. Asserit enim, dum Angelus operatur in pluribus partibus, non esse in omnibus, sed in ea, in qua primo applicat suam virtutem. Hoc eodem modo concedit, Angelum, qui subuertit Sodomam, non fuisse in pluribus partibus ciuitatis, sicut argumentum contendebat, sed in ea tantum per quam suam virtutem applicabat: quod sane necesse non erat, si posset esse in pluribus locis non adaequatis, posset autem esse in pluribus intra ciuitatem: siquidem tota illa operatio, & subuersio virtuti Angeli adaequate respondebat: quare intra illam plura loca non adaequata signati possent. In eadem sententia fuit *Gregor. Ariminensis in 2. Gregor. Ar. dist. 2. q. 3.* quamuis alibi oppositum docuerit, ut sequenti disp. referemus: aut enim ibi primum, Angelum posse constitui in pluribus locis, quae partialia appellat, nempe quae simul sunt aut continua, ut in eodem corpore; aut contigua, ut in diuersis corporibus contiguis: vtroque enim modo componere possunt vnum integrum locum. Deinde assentit, non posse esse in pluribus locis, quos totales vocat, cumque totales opponat partialibus, totales erunt, si corpora sint inuicem separata, nec continuatione, aut contactu coniuncta: atqui idem esse apud ipsum loca totalia, & nullo modo coniuncta, patet ex solutione cuiusdam argumenti, ubi non vult concedere demonem simul fuisse in serpente tentando Euam, & in ipsa Eva, cum tamen intra illud spatium recte possent duo loca non adaequata intra debitam latitudinem & figuram demoni assignari.*

Haec sententia probatur primum ex doctrina *Damasii, 2. de fide, cap. 3. circa medium, & aliorum Patrum*

Patrum asserentiū, Angelum esse loco definitū, & circumscriptū: quod si in pluribus locis esse posset simul, non diceretur vno definitus: hinc infert Damasc. cum ad terram mittitur, in celo non manere: non dixit propter nimiam distantiam, sed quia vni loco semper alligatus est & definitus. Primo autem lib. de fide, cap. 17. inquit: *Neque enim in pluribus, ac diuersis locis operari eodem tempore potest. Dydimus* etiam in libr. de Spiritu sancto, longe à principio, postquam discrimen constituit inter Spiritum sanctum, & spiritum creatum, quod ille sit vbique, hic autem determinato loco definiatur, inquit: *Angelus quippe, qui aderat apostolo in Asia oranti, non poterat simul adesse aliis in ceteris mundi partibus constitutis.* Quæ omnia si aliquis interpretetur de locis adæquatis, ita vt in paruis locis intra certam sphaeram Angelus esse possit, aduertat, obsecro, vno loco definiti, idem esse, quod in vno loco tantum esse, sine magno ille sit, sine paruo; id enim nunquam Patres distinguere curarunt.

Ceterum ratione ostendamus, Angelum posse esse in pluribus locis, in quacumque distantia positus, & ita manere posse in celo quando ad terras mittitur, si semel concedamus, in duobus locis parum distantibus posse locari, primum si posset virtutem suam, & seipsum pluribus locis non continuis, nec contiguis applicare, ita vt distantia parua nihil impediret, eadem ratione magna distantia non obstarat, sicut supra de actione illius in distans disput. præced. c. 2. probabamus. *Hieronymus* Qua ratione *Hieronymus* in tractatu de motu Angeli q. 1. ad tertiam difficultatem, contra suam sententiam docet Angelum posse operari in duobus locis quantumvis distantibus, sine medio, si possit illa duo per modum vnus apprehendere; quod si operari in illa nequit, inde solum inquit provenire, quia non apprehendit plura per modum vnus. Deinde per primum miraculum, quo corpus Christi caret proprietate quantitatis, quam dicunt commensurabilitatem, nouo alio miraculo constituitur in duobus locis vel hostijs, etiam parum distantibus: magis ergo difficile Angelo esse debet, in duobus locis collocari, quam in vno continuo duobus æquali manere.

Obiectio. Sed obijciat aliquis, sicut Christus existens in eadem hostia, si diuidatur, manet in vtraque parte illius, etiam si ille contiguis non sint, sic etiam Angelus manere poterit, & ita in duobus locis non adæquatis perseuerabit. Respondeo, diuersam esse rationem. Nam corpus Christi est in hostia virtute Dei, non quia sit terminata, vel quia sit vna, sed quia tota substantia patris virtute verborum conuersa est in corpus Christi: quare si partes hostiæ separantur, & in quacumque distantia ponatur, semper manet corpus Christi: at Angelus cum sit propria virtute, ita potest esse in corpore continuo, vel in duobus contiguis, vt si separaretur: nequeat in eis esse alioquin, sicut corpus Christi, in quacumque distantia manere posset. Atque hinc ostenditur, quænam sit repugnantia, ob quam Angelus nequeat esse in duobus locis non contiguis, & soluta manent rationes prioris sententia. Ceterum obseruandum est, ideo Angelum esse posse in pluribus corporibus, si contigua sunt, eodem modo atque in vno magno corpore continuo, non autem in pluribus eiusdem quantitatis, si continua non sint, quia sicut contactus corporum plurimum confert, vt ope-

ratio etiam agentis corporei ab vno in aliud diffundatur, & ita virtus in vtrumque operetur, quæ si separata essent, sine medio agere non valeret: eodem modo contactus, siue continuatio, plurimum confert, vt virtus Angeli totam substantiam suam in duobus corporibus, aut in duobus partibus constituat, quam non posset in pluribus separatis, sine medio collocare.

DISPUTATIO CXCI.

Num angelus ita habeat determinatum locum, vt in maiori, aut in minori esse nequeat.

Varia placita Scholasticorum. cap. 1.

Locum Angeli maximum determinatum esse, de minimo autem nihil nobis constare, probabilis est, cap. 2.

Quomodo probet Scotus, Angelum non posse esse in maiori loco in infinitum, cap. 3.

CAPVT I.

Varia placita Scholasticorum.

Cum Angelus in vno tantum loco esse queat, superest vt videamus, an possit in maiori, & minori loco sine termino se constituit. Quæstio autem intelligenda est de minori loco intra litudinem diuisibilem: nam de loco indiuisibili natura est sequens disputatio. In præfati vero controverfia prima opinio sit Durandi in 1. dist. 37. 2. parte distinctionis quæst. 1. num. 26. Qui iuxta modum dicitur, quem secutus est de existentia Angeli in loco, vt vidimus disput. 188. cap. 5. coactus fuisse credere, Angelum vbique esse: quam sententiam sensui Patrum aduersari ibidem monitramus: quare hac solum ratione à nobis quoque rejecta est. Cum vero Nazianz. Orat. 24. circa finem, & Hieronymus, in Epist. 53. contra Vigilantium, in illud Apostoli Gal. 3. 14. Et sequantur agnum quacumque introierit: dicunt Angelos & demones vbique terrarum esse. Solum docere volunt, non simul, sed vbiq. motu statim omnia peragere. Hieronymus dicit, summa celeritate vbique esse: Nazianz. vero omnibus impigre adesse, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem: quibus verbis summam motus celeritatem figuratæ voluerunt. Idem denotauit Tertullianus in Apologia contra Gentem. c. 22. cum ait: *Omnis spiritus alio est: hoc Angelus & demones, igitur momento vbique sunt.* Ex quibus Patribus etiam confutatur sententia Durandi, cum plane dicant Angelos moueri, idque Durandus in sua sententia concedere nequeat: refellitur etiam aliorum testimonio, qui docent Angelos moueri, quos disput. 194. c. 2. recenscebimus.

Secunda opinio est *Hibernici* in 1. dist. 8. quæst. 1. in solutione 4. Quem refert Gregor. hic aliter dicit Angelum in determinatum locum sibi positum, vt nec in minori esse possit: quinimo locum Angeli esse circularis figuræ. Addit præterea, si contingat Angelum aliquando minus corpus altingere, substantiam illius aliqua ex parte necesse est esse extra illud, & si assumat alterius figuræ, quam circularis, similiter. Hanc sententiam secutus videtur *Bassolis* in secundum dist. 2. quæst. 4. dist. artic. 1. & præsertim in solutionibus argumentorum.